

168

166

172

153

162

De insulis maris, et quomodo generentur, et quam
bonae sint.

177

Insula est magna terrae petia, in mari super aquas elevata,
de profundo consurgens, aquis undique circumdata. Insilla
est diminutivum ab insula, et dicitur parva insula. Porro, si
de mari consurgit terra dura et infructuosa, ut sunt montes
petrosi et rupes, non dicuntur insulae nec insillae sed scillae
et scopuli, quos Italici nominant scoyas. Dicitur autem insula,
quasi in salo sita, idest, in mari: undique enim insula aquarum
fluctibus clauditur, et tamen illaesa manet nec frangitur, nec
dissolvitur, sed per repercussionem fluctuum potius solidatur.
Sunt autem in omnibus maribus insulae. In Oceano Hibernia,
Britannia, Anglia, Thanatos, Scotia etc. In mediterraneo, in
quo nunc sumus, multae, ut patebit, et in pontico pauciores.
Porro tantae bonitatis sunt quaedam insulae, ut fortunatae
dicantur et nominentur, ut hoc suo vocabulo significant fere
omnia bona, quasi felices et beatae fructuum ubertate. Sua
enim aperte natura preciosarum poma silvarum parturiunt,
fortuitis vicibus juga collium vestiuntur, ad herbarum vicem
messis et olus vulgo est. Unde gentilium error, et saecularium
carmina poëtarum propter soli foecunditatem easdem esse
Paradysum putaverunt. Et hodie plures credunt Venerem in
monte Veneris, qui est in insula Cypri, ducere vitam volup-
tuosam cum suis, cum qua canunt esse quandam dictum
Tannhuser, de quibus habetur fol. 150. part. 2. Quomodo autem
insulae generentur facile est videre. Siquidem cum mare per
occultos gurgites et meatus subterraneos aquas mittit, et terram
circumiacentem cavat per longa annorum spatia, et tandem,
dum fundamenta, quibus terra sustentabatur, per aquae pene-
trationem sunt corrosa, tunc uno impetu mergitur tantum de
terra, quantum per aquae corrosionem fundamentis privatum
fuerat. Sic aliquando labitur tota terra adjacens, et una petra,
cujus fundamenta corodi non poterant, manet. Aliquando
spatium terrae unius miliaris sicut insilla illa S. Andreae,
aliquando ad spatium X. aut XX. aut centum miliarium (59A)
remanet, caetera omnia per multum spatium merguntur, et pars
remanens efficitur proprium regnum ab eo distinctum, cuius

157

217

117

267

067

Ende

Anfang

